



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ Pontificum Romanorum

Ex Antiquis Monumentis Collectae

Sandini, Antonio

Bambergae, 1753

CCXLVI. Innocentius XIII. Anno Christi 1721. Caroli VI. 10.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65477)

§. 4 ibid. pag. 149. Vide annotat. 6. ad
Urbanum II. pag. 356.

(11) Epistola Encyclica 6. in Continua-
tione Bullarii part. 2. pag. 422.

CCXLVI.

INNOCENTIUS
XIII.

ANNO CHRISTI 1721.

CAROLI VI. 10.

NOVEMDIALIBUS sacris *Clementi XI.*
perfolutis, comitia Pontificia
haberi coepta, in quibus VIII. Idus
Majas Cardinales successorem crea-
runt *Michaëlem Angelum de Comitibus*
Romanum, quem ad claritatem ge-
neris, unde Pontifices plures existi-
terant, munera quoque domi, foris-
que gesta faciebant loco supremo
dignum. *Innocentius XIII.* appellari
voluit. Pacatum & optimè confi-
tutum imperium nactus, animum
adjecit ad Pontificium decus dome-
sticâ & publicâ majestate augendum.
Liberalis in omnes, in eos potissi-
mum, quibus aliquo beneficio se ob-
strictum esse sentiret. Mitissimo in-
genio

genio præditus clarissimos viros accusationibus appetitos vindicavit ab omni crimine. *Nec mansuetudo integritatem corripit, nec integritas mansuetudini repugnavit.* (1) Constans juris Ecclesiastici assertor fuit, quod tum præsertim significavit, cum investituram Regni Siciliae utriusque, ac Hierusalem impertiit *Carolo VI.* Cæsari. (2) Ritibus etiam sacris instituendis adjunxit curam. Namque cultum immemorabilem *Beati Andreae de Comitibus Alexandri IV.* ex fratre nepotis, *Ordinis Minorum S. Francisci* approbavit. (3) Et Dominicam secundam post Epiphaniam præstituit Festo Sanctissimi Nominis *Jesu* ab universa Ecclesia quotannis celebrando. Extremum vitæ diem confecit Nonis Martii anno Christi 1724. ætatis nono sexagesimoque. *Supra biennium regnavit menses novem & dies undetriginta.*

ANNOTATIONES.

(1) S. Augustinus epist. 43. aliàs 162. cap. 5.

(2) Constitutione, cujus initium *Inscrutabili illius* in Continuatione Bullarii part. 2. pag. 467.

T t t

(3) Vide

(3) Vide Card. Lambertinum De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 1. cap. 31. num. 16. & lib. 2. cap. 24. §. 41. num. 146 & 159.

CCXLVII.

BENEDICTUS XIII.

ANNO CHRISTI 1724.

CAROLI VI. 13.

QUarto Kal. Junias successit Benedictus XIII. probus & antiqui moris Pontifex. Is erat *Vincentius Maria Ursinus* Archiepiscopus Beneventanus. Multa fecit laudabilia. Ante omnia cavit, ut viri laici, qui ex more talarem vestem Clericalem induerent, Collare deferrent latum diversumque ab eo, quo Clerici uterentur. Vetuit etiam, Clericos gerere comas appositas. Disciplinam Ecclesiasticam sanxit Concilio celebrato in *Æde Lateranensi* anno piaculari 1725. eodemque anno in eadem Basilica Sacramentum Penitentiae administravit, ac summi Penitentiarum munere functus est. Mandavit omnibus Italiae Episcopis, ut Cle-